



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnabrvngensis Ecclesiae, Ab Anno Christi
MDCXXVIII.**

Brogberen, Johannes

Coloniae Agrippinae, 1657

De vita & honestate Clericorum. 6

urn:nbn:de:hbz:466:1-14298

alia pia loca, nec non ad Dignitates, Personatus & Beneficia pertinentia, vel ad fabricam Coloniensem, & aliarum Ecclesiarum legata, seu Bona illicite acquisita, ipsi Fabricæ cedentia, aut tacite vel expresse occupent & detineant minus iuste in fraudem Ecclesiarum & Monasteriorum ac aliorum prædictorum: Nos, eorum in hac parte fraudibus obviare volentes, statuimus & præcipimus, ut, quicumque, cujuscunque status aut conditionis existant, in præsentis vel pro tempore, hujusmodi Bona & legata, ac illicite acquisita, Ecclesiis, Prælatibus & Clericis scientibus vel ignorantibus, sub se habuerint; intra mensem à præsentis statuti publicatione, ea quæ ad præsens apud eos sunt & se habere sciunt, vel quocunque tempore, dum innotuerit ipsis se Bona consimilia tenere vel occupare, similiter intra mensem, eisdem Fabricæ Nostræ Coloniensi & Ecclesiis, Monasteriis, Prælatibus, Ecclesiarum Rectoribus, aut aliis locis piis, restituant atque reddant. Aliàs ad id tunc per Excommunicationis sententiam compellantur.

VI. De vita & honestate Clericorum.

Sifrid.
stat. II.

Statutum item bonæ memoriæ Sifridi quondam Coloniensis Archiepiscopi, Prædecessoris Nostri, inter alia statuta sua de vita & honestate Clericorum editum, quod sic incipit: Ex Concilio generali statuimus & præcipimus, ut universi Clerici continenter & caste vivant, &c. innovantes, præcipimus firmiter observari.

VII. De Vicariis, quo ad Versus & Lectiones in Matutinis.

Intelleximus etiam, quod, quanquam in quibusdam Ecclesiis Vicarii aliqui adstricti sint suas septimanas servare, celebrando Missas in principali seu summo Altari, & cæteras Horas quascunque; Lectiones tamen in Matutinis legere vel Versus cantare in eisdem Ecclesiis de consuetudine prohibentur: propter quæ, occasione Canonicorum absentium, contingit interdum, in eisdem Ecclesiis negligentias fieri, & Matutinas cum cantu penitus prætermitti. Attendentes igitur, absurdum esse, quod majora & solemniora (ut est dictum) ipsis Vicariis permittantur, utpote Missarum celebratio in summo Altari, & minima denegentur; ad tollendam negligentiam hujusmodi, præcipimus Decanis, ut ipsi Vicariis eisdem deinceps injungant Versus cantare & Lectiones legere, prout viderint expedire; eos, qui ipsis in hoc non paruerint, sicut in cæteris, corrigendo, salva correctione contra Canonicos, qui in præmissis fuerint negligentes.

VIII. De etate Presbyterorum Ordinandorum.

Statuimus item, ut nullus Clericus secularis ad Sacerdotii gradum, nisi vigesimum quintum annum ætatis suæ attigerit, aliasque *Genf. 8.* ad hoc idoneus extiterit, ordinetur; ut, levitate juvenili, quæ prona est ad delictum, transcurra, Sacerdotes in agendis discretionem habeant, suo statui congruentem.

IX. De Concubinariis Clericis.

Quanquam item plures Canones & statuta edita sint super Continentia Clericali; quia tamen natura prona est & labilis ad incontinentiam: idcirco, ut quilibet Clericus, saltem poenæ gravioris formidine, strictius se contineat; statuimus, ut nullus Clericus, & nullus omnino Presbyter, Concubinam vel in domo sua vel extra publice teneat aut habeat, cui necessaria ministraret. Alioqui à Divinis noverit se suspensum: & talibus suspensis celebrantibus, nullus Divina audiat, nec pro Capellanis nec Sociis eos teneat. Contrarium facientes, ut desistant, per Excommunicationis sententiam arceantur, salvis poenis per bonæ memoriæ Conradum Archiepiscopum Coloniensem, Prædecessorem Nostrium, contra Concubinaris & Concubinas hujusmodi institutis. Qui vero, relaxatis * voluntatibus habentibus, in lacum miseriæ & in lutum fæcis se immergunt, ut salutis æternæ coronam & honestatis normam, & sacrarum virginum pudicitiam violare præsumpserint, cujuscunque Regulæ vel habitus monialium tales extiterint; propter tam flagitiosum crimen, si carnis commercium temerarium fuerit subsecutum, Excommunicationis sententia (quam in his scriptis ferimus) se noverint innodatos. Sanctimonialibus vero, quæ hujusmodi crimen flagitiosum perpetraverint, nullatenus deinceps ad Officium aliquod in Monasterio admittantur: sed in signum iniquitatis suæ (salvis poenis, contra tales sanctimonialibus editis, prout hæc in Concilio venerabilis Patris Domini Conradi Portuensis & S. Rufinæ Episcopi, olim Apostolicæ Sedis per Alemanniam Legati, sunt promulgata) taliter à suis Superioribus corrigantur, quod earum correctio aliis terrorem inculciat, ea amplius non committendi.

Conrad.
stat. I.

for. * no-
lupiatum.

Conradus
Portuensis
& S. Rufinæ
Episcopi.
Card. per
Alemanniam
Apostolicæ
Sedis Legatus.

X. Quod Clericis publica Emenda & poenitentia non sit imponenda.

Item, cum Clericis publica actio poenitentia sit prohibita; statuimus, ut in nulla Ecclesiarum Nostræ Civitatis, Diocesis & Provinciarum,